

No. 92. 1222. 29. Jan.

Landgraf Ludwig der Heilige von Thüringen, Vormund seines Neffen des Markgr. Heinrich, entscheidet einen zwischen dem Capitel und den Brüdern von Mildenstein obschwebenden Streit (vgl. No. 82) und bestimmt die von denselben zu leistenden Entschädigungen und öffentlichen und Kirchenbussen etc.

In nomine domini amen. Ludewicus dei gratia Thuringiae lantgravius, Saxoniae comes palatinus omnibus hanc paginam inspecturis. Noverint universi, quod nos, ad partes Misnensis marchiae accedentes, inter Misnense capitulum et fratres de Mildenstein ortam diu et duram invenimus quaestionem super decimis in territorio Vrankenberc et in Burcardo Goze, et in locis aliis ibidem constitutis, quas occupaverant dicti fratres, quarum etiam occasione dominum Brunonem Misnensem episcopum captivarant et, mutilato quodam eiusdem episcopi capellano, dampna gravia intulerant capitulo memorato per incendia et rapinas. Posthac de consilio et auxilio dilectorum ac fidelium nostrorum, Meinheri burgravii Misnensis, Ludolfi de Bedstete¹⁾, Bernhardi de Kamenz, Hermani de Sconenburch, recepta ab ipsis fratribus data fide et super ipsa fide iuratoria cautione, quod, quicquid nobis mediantibus fieret inter ipsos, firmiter observarent, ita inter eos duximus statuendum, ut litis occasio sopiretur, Arnoldus, Heinricus, Richardus fratres ipsi ad manus nostras renunciarunt integre omni iuri, quod eis in ipsis decimis, vel eorum successoribus competere videretur, revocantes et irritantes omnem penitus warandiam, quam praestare possent alicui vel deberent in decimis supradictis. Ad emendationem pro captivitate episcopi memorati de praedio suo, vel de bonis imperialibus assignabunt Misnensi episcopatu decem marcarum redditus annuales, donationem eorum impetraturi ab imperio, et ab episcopo in beneficio recepturi, et tam ad hunc articulum persolvendum quam ad alios subsequentes tenentur astricti debito praefati sacramenti, et nos quoque ecclesiae Misnensi pro ipsis obligavimus fideiussoria cautione ad solutionem specialiter articuli memorati. Domino siquidem Friderico viginti marcas dabunt pro sui corporis laesione, pro qua etiam cum supradicta ecclesia verecundiam importabilem sustinuerit et diu laboraverit sustinendo. Ut a simili fratres iidem verecundiam pro verecundia, ruborem sustineant pro rubore, nominati viri cum triginta personis in pleno habitu poenitentium, et cum scopis conspectibus dominorum Nuwenburgensis et Mersburgensis episcoporum, in synodis eorundem coram clero et populo se humiliter praesentantes, culpas suas pariter et excessus publice fatebuntur, et tam ibi, quam in quatuor provincialibus placitis renuntiationem, quam fecerunt in praetexatis decimis publicabunt, habitum poenitentiae assumpti ante civitates diocesum praedictarum. Competens etiam iudicavimus et honestum, ut, cum Misnensis ecclesia turbata videretur gravius et offensa, satisfactione altiori deberet modis omnibus honorari, ipsi fratres cum quinquaginta personis ab eo loco, ubi praedictus clericus dicitur mutilatus, poenam, quae vulgo harmesear^{a)} nuncupatur, in praedicto habitu assumentes, in coena domini, cum officium celebratur,

1) Richtiger *Berlstele*.

a) Schimpfliche Strafe. Vgl. Grimm deutsche Rechtsalterth. S. 681.